In glandulis oculorum et systematis lacrymosi aucta secretio sub forma *Ophthalmiae glandulosae* apparet. Si in glandula lacrymali ipsa asthenia posita est, tum augetur lacrymarum secretio, ita, ut saepe trans genas defluunt. Id quod in coryza saepe videre licet. Si vero in viis lacrymalibus, in sacco et caruncula lacrymali (quae organa in statu normali blandum fluidum secernunt, quo se a lacrymarum corrosiva natura defendunt) secretio augetur, tunc mucus ob maiorem copiam cum lacrymis per ductum nasalem, ut solet, defluere nequit, sed pars eius in angulis oculi, praesertim interno, coacervatur, ita, ut oculus saepe conglutinetur. Vocatur hic status *blennorrhoea viarum lacrymalium*, morbus, qui in hominibus scrophulosis, praecipue infantibus, haud raro invenitur.

§. 6.

Auctam secretionem muci seu blennorrhoeam in bronchiis vocamus in genere *tussim*. Secretum ope pulmonum per os eiicitur. Levior tussis gradus non quidem periculosus est, gravior vero mali ominis. Saepius enim tabes et phthisis pulmonalis eum sequi solet.

§ 7.

Eodem modo *coryza* quoque aucta muci secretio in membrana pituitaria narium est. In statu normali ea tantum muci quantitas secernitur, quae ad nares lubricas sustentandas, easque a lacrymarum per eas defluentium et ab aeris hausti iniuriis defendendas sufficit. Jam vero coryza adeo vulgare malum est, ut leviori eius gradu omnes fere laborent homines; Id quod apud maiores, e. g. Graecos veteres, minime sic fuit. — De coryza cum secretione diminuta aeque ac de tussi sine sputis hic sermo esse non potest, quum non sint auctae secretionis morbi.

§. 8.

§. 8.

Aucta ſecretio in glandulis mammarum polygalia ſeu *galactirrhoea* vocatur. Puerpera nonnumquam nimis largam lactis copiam in mammis habet, adeo, ut complures infantes eo nutriri poſſint, ipſa vero ſenſim magis magisque debilitatur, marceſcit, quin tabe moritur. Saepe quidem non adeſt nimia lactis ſecretio, dum infans eo nutritur, ſed poſt delactationem mammae adhuc diu, per menſes, immo per annos lac ſecernere pergunt. Ea quoque exempla videntur mihi huc referenda eſſe, ubi in mammis mulierum haud gravidarum et talium, quae menſes non amplius habebant, in mammis virginum intaminatarum, quin immo virorum (quale nuper adhuc Humboldt nobis narravit exemplum), adeoque infantium tam maſculini, quam feminini generis lac reperiebatur. In plurimis galactirrhoeae caſibus lac, praeter quantitatem, et qualitate a ſtatu normali recedit.

§. 9.

Si in hepate ſecretio augetur, *polycholia* evenit. Quod, uti in quovis alio organo ſecretorio, ſic quoque in iecinore, aucta bilis ſecretio adeſſe poſſit, et ſaepius adſit, multa extant exempla, ubi in veſica fellea hominum polycholia mortuorum decem, immo undecim librae bilis inveniebantur. Ex hac nimia cyſtidis impletione quoque tenſio, quae in hoc morbo in dextro hypochondrio ſentiri ſolet, derivari poteſt. Si vero haec nimia bilis multitudo in duodenum effunditur, tum partim per emeſin, partim per alvum eiicitur. Praeter auctam multitudinem fel quoque qualitate depravatum eſſe ſolet; non raro adeo acidum eſt, ut, ſi per os eiicitur, fauces corrodat. In graviori huius morbi gradu loco bilis nihil niſi cruda lymphatica materies ab hepate ſecernitur. Sicuti vero in omnibus ceteris auctae ſecre-

secretionis morbis, ita quoque in hoc aegrotantes debiles ac macilenti fiunt, et facile tabe consumuntur, idque eo magis, cum appetitus et digerendi facultas in polycholia plerumque valde depravati esse solent. Gradus morbi aeque ac duratio eius valde variant, saepe celeriter decursum facit, saepe vero tarde, ut ceterae blennorrhoeae solent.

§. 10.

In *renibus aucta secretio* sub forma *diabetis* adparet. Hoc in morbo urina tam quantitate, quam qualitate a normali statu aberrat. Magna, saepe horrenda quantitas eius secernitur, saepius est paullo spissior, dulcis et melli similis (tunc *Diabetem mellitum* vocant), saepius sine ullo sapore est (qui status *Diabetes insipidus* appellatur). Aegroti plerumque simul siti laborant inextinguibili, et multum bibunt, attamen non tantum, quantum per renes secernitur. Neque minus magna voracitas adesse solet, nihilo vero secius aegroti debiles et macilenti fiunt, et facile in febrem hecticam incidunt. Plerumque longus est Diabetes, et per complures menses, immo annos durat, saepe vero intra aliquot hebdomades decursum suum facit.

§. 11.

In glandulis, quae internam vesicae urinariae superficiem occupant, aucta secretio adesse potest, qui status a nonnullis *catarrhus vesicae urinariae* vocatur. In statu normali hae glandulae tantum pituitae secernunt, quantum ad vesicam ab urinae corrosivae iniuriis defendendam sufficit. Si vero aucta secretio existit, tum una cum urina effluit mucus, et nubeculae instar in ea haeret. Multi medici quoque observavere, quod ingens quantitas muci cum urina effluxerit, qua ratione si diu persistit, quod maciet tabescat aeger necesse est. *Diagnosis* vero huius morbi non semper facilis

 est,

est, quum facile cum Diabete insipido atque cum vesicae urinariae ac urethrae suppuratione confundi queat.

§. 12.

Si in glandulis tubi intestinalis secretio augetur, evenit inde *Diarrhoea* et *Dysenteria.* Quantitas pituitae intestinalis, quae una cum stercore eiicitur, gradu differt, saepe permagna eius copia fere sine fecibus excernitur ita, ut excretum plane aquosum sit. Si gravior huius morbi gradus una cum doloribus colicis et tenesmo alvi adest, et excreta, plerumque saltem, sanguine commista sunt, tum *Dysenteria* adesse dicitur, appetitus deesse, *Dyspepsia* adesse solet. Si Diarrhoea chronica est, et mucus plerumque sine fecibus eiicitur, tum nonnulli hunc statum *Blennorrhoeam canalis intestinalis* vocant. Ita quoque *fluxus coeliacus* ab hoc statu revera differre non videtur, praeter quod forsan una cum istis excrementis adhuc alia fluida, e. g. fel, excernantur. Diarrhoea vero quoque saepe ex aucta succi pancreatici secretione oriri potest, hoc vero difficile dignosci potest, neque diversam exigit curationem. Aucta haec muci secretio si in intestino recto locum habet, qui casus plerumque cum tenesmo conjunctus esse solet, tum *haemorrhoides albas* seu *mucosas* adesse dicunt. Quam valde diarrhoea gravioris gradus et diutius perdurans debilitet ac exhauriat aegrotum, notissimum est.

§. 13.

Si in tela cellulosa corporis seu in cavis eius secretio vasorum exhalantium augetur, ita, ut aquae accumulatio inde eveniat tunc *hydropem* adesse dicunt. Species variae hydropis re ipsa non differunt, sed solummodo pro partium, in quibus locum habent, varietate. Hac ratione distinguendi sunt *hydrocephalus*, *hydrothorax*, *ascites*, *hydrocele*, *oedema*

ma etc. In hydrope una cum aucta secretione vasorum exhalantium plerumque diminuta activitas vasorum resorbentium adesse solet (id quod per astheniam in ambobus efficitur) eoqae facilius hodrops producitur. Saepe quoque glandulae, si quae in cavis adsunt, simul affectae sunt, ita, ut secretio in iis aucta sit, et hoc praesertim tum, cum accumulatum fluidum spissius ac gelatinosius est, adesse videtur. Excretiones sic dictae naturales, perspiratio cutanea, urina etc. tunc plerumque diminutae seu fere suppressae sunt, simulque depravata nutritione laborant aegroti.

§. 14.

Si vero in cutis superficie aucta secretio adest, oritur inde *sudor*. Si perspiratio cutanea, quae in statu normali insensibilis est, adeo augetur, ut guttae in cute appareant, sudorem adesse dicimus. Levior sudoris gradus non morbi nomine appellatur; omnino vero gravior. Sudores, quos colliquativos dicunt, et qui a magna vasorum exhalantium cutis asthenia pendent, nonnunquam adeo graves sunt, ut magna debilitas, tabes et mors inde veniat. Simul quoque qualitas sudoris a normali statu aberrare solet, saepe viscosus est, mox huius, mox illius saporis et odoris. Perspiratio cutanea non quidem per totam superficiem aequaliter semper aucta est, saepe partialiter tantum, ut in pedibus. — De eo sudore, qui labores et exercitationes corporis sequi solet, sermo hic esse non potest: Is enim, plerumque saltem, non a vasorum cutaneorum diminuta contractione, sed potius a fortiori sanguinis impulsu cutim versus pendet.

Proprium morborum genus, ab aucta cutis secretione pendentium, *exanthemata* formant, quorum secundum stadium, eruptio scilicet ac contagiosae materiae formatio, huc spectant; sed de his omnibus morbis tractare per temporis

poris angustias et plagellarum fines non liceat; hinc allegasse sufficiat.

§. 15.

Fortasse etiam *plica polonica* his morbis adnumeranda est, cum ab aucta capillorum secretione pendeat. Crines quasi oleosi (qui nimia secretione laborant) in compluribus hominibus inveniuntur, sed plica polonica longe gravior exsudationis gradus, quo capilli revera conglutinantur, in nostris saltem regionibus haud frequens observatur.

§. 16.

Hi fere sunt praecipui auctae secretionis morbi, minime vero me omnes recensuisse opinor. Multae enim adhuc adsunt auctae muci secretiones, e. g. in linguae superficie, ac nimium in auribus cerumen, hos vero aliosque minoris, momenti huius generis morbos sicco pede transire liceat.

§. 17.

Etiam sine hac morborum auctae secretionis dispositione, experientia iam de affinitate eorum nos edocet. Raro enim unus horum morborum solus in organismo adest, plerumque, immo fere semper, plures eorum una adsunt, (uti e. g. coryza et tussis) seu unus alterum sequitur. Sunt, qui ab uno vel a nonnullis horum morborum nunquam liberentur, e. g. a tussi, et persaepe huic alter adhuc accedit, nunc diarrhoea, nunc ophthalmia glandulosa seu fluor albus etc. Sic quoque cum vulgari coryza nunc hic, nunc ille morbus coniungitur, variolis laborantibus saepe salivatio supervenit, cl. Melitsch polygaliam cum diarrhoea vidit. (cfr. Starks Archiv III, 69.) Purpura plerumque cum sudoribus iuncta est, polycholia cum diarrhoea, hydrops cum diabete, (cfr. Krebel Beitr. zur theor.

und

d. prakt. Arzneik. I, 318.) diarrhoea cum hydrope. — Ita quoque exitus horum morborum gradus majoris idem est, sequitur omnes imbecillitas, tabes et febris hectica. Sic quoque ab iisdem caussis producuntur, varii solummodo pro aegrorum varietate et partium ab iis affectarum. Sic refrigeratio pro individui varietate coryzam, diarrhoeam, tussim, fluorem album etc. producere potest.

§. 18.

In systemate reproductivo, et quidem praesertim in huic subdito systemate secretionis, summa indifferentia posita est, in morbis huius systematis ergo quoque remedia quam maxime indifferentia adhibenda sunt, id est, oxyda metallica. At non semper ac sine ullo discrimine applicanda sunt, sed solummodo in levioribus horum morborum gradibus, in gravioribus vero, atque si aegrotus natura infirma ac invalida est, quoque iam in minus gravioribus, mox sub forma morborum irritabilitatis apparent, et tum oxyda metallica non solum non indicata sunt, sed adeo admodum nocent. His in casibus primo a remediis differentioribus, iisque azoticis, exordiendum est (qualia sunt moschus, castoreum, liqu. Cornu cervi, asafoetida etc.) et tum sensim ad paullo indifferentiora (e. g. ad Arnicam, Serpentariam, dein Quassiam, corticem etc.) transeundum est donec morbus ad leviorem gradum diminuatur. Tum vero metalla adhibenda sunt (antimonialia, mercurialia, martialia etc.) et solummodo eorum ope curatio alicuius horum morborum finiri potest. Quamquam necessariam huius medendi methodi caussam medici olim non viderint, tamen dudum iam, quantum metalla his in morbis efficere possint, scivere. Attamen etiam negari non potest, quod persaepe sine ullo effectu adhibita sint: Id quod certe plerumque a falsa eorum applicatione pendebat, si e. g. pro

ratione

ratione individui forma nimium indifferenti seu dosi iniqua dabantur.

Specialiora de his morbis medendis afferre supervacaneum puto, cum, si rite constructi sunt morbi, curandi methodus facillima sit inventu.

Theses.

1.

Si Myops cataracta laborat depressio, si Presbyops extractio adhibenda.

2.

Diarrhoea nonnumquam sthenica esse potest.

3.

Corallia et conchylia non mechanice ab incolis exstructa, sed excretiones per processum animalem sunt.

4.

Quod Polypus in regno animali, id Algarum aquatilium familia in vegetabili est.

5.

False Linnaeus sub nomine Algarum Lichenes cum Confervis, Ulvis et Fucis in unum ordinem conjunxit.

6.

Sine nectario permulti flores fecundari nequeunt.

ORDINIS MEDICI

IN

VNIVERSITATE LITERARVM IENENSI

H. T.

DECANVS

D. CHRIST. GOTTFR. GRVNER

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

MEDICINAE VTRIVSQVE CANDIDATI

AD. FRID. BRÜCKNERI

NEO-BRANDENBVRGO-MEGAPOLITANI

A. D. XVIII. MAII CIƆIƆCCCIII.

HABENDA INDICIT.

Ineſt

Commentarius in locum Celſi

de

ſectis medicorum.

IENAE,

LITERIS GOEPFERDTII.

Peruetus ſcomma eſt, figulus figulum odit, medicus medicum odit, neque iniurioſe hoc in medicos dictum vel male iactum eſſe putemus. Vt enim hominum mores, vita, opinio, religio, doctrina, diuerſa eſſe, et hinc larga mutuae litis disceptationisque materia naſci ſolet, ita medicis ex arte, quam agitant, coniecturali et in horam mutabili datur frequens rixandi et diſputandi occaſio. Differt enim aeger alius ab alio, morbus, forma et nomine idem viſus, rerum nocentium et ſymptomatum congerie ſemper mutabilis ac varius eſt ob variam conſtitutionem corporis, ob vim caeli, ob vitae rationem aliam, ob innumera fortuita, quae ſub ipſa morbi acceſſione incidere poſſunt, neque ſemper licet experto medico mordicus tenere eandem medendi viam, quam auctores clariſſimi vniuerſe et paullo audacius ſcripſerant. Opus ergo eſt, dum venitur ad aegrorum lectulos, doctrina multiplici, ingenio ſubtili, iudicio firmo. Quae naturae bona ſi alicui defuerint, vereôr, ne per omnem vitam in arte facienda dubius et anceps haereat, et experimenta per mortes agat. Accedunt alia, quibus alitur et fouetur medicorum diſcordia, educatio et inſtitutio docta, cum maxime ridiculum inclareſcendi ſtudium. Tyrones pendent ab ore ac auctoritate magiſtrorum. Qui dum ſibi ſoli ſapiunt, alios, vt infantes, ſpernunt, noua ſedulo aucupantur, vt magni viri eſſe videantur, nodum in ſcirpo, laureolam in muſtaceo quaerunt, lectores in tricas ſubtiliſſimas coniiciunt, verba obſcura, ſequipedalia et ſpecioſa ex cathedra, tamquam ex

)(2 tri-

tripode, iactant, mirum mehercle non est, ut medici, in curatione morborum iterum iterumque lapsi, vel spernant omnem scientiam, experimentis vnice contenti, vel lubrica professorum auctoritate, tanquam folle, inflati rideant alios, cum maxime seniores, qui dudum in verba magistri iurare desierant. Sed vsus ipse et experientia immaturae sapientiae serius ocyus finem faciet. Nihil enim hac sophistica et verbosa notitia absurdius, nihil vanius est.

Sunt medici, qui non ferre possunt alios alia sentientes, sunt, qui soli in medicina regnare, ceterosque suo imperio subiicere atque ad voluntatem dirigere cupiunt, sunt denique, qui ceteris auram popularem et iustum ex opera praemium inuident, et cum tali sint animo, sibi temperare non possunt, quin dissentientes variis proscindant conuitiis, eosque auitis praeiudiciis, tanquam scopulis, inhaerescere clamitent. Quantum est in rebus humanis inane! Denique pessima et artis pomoeriis prouchendis inutilissima est nouorum systematum fabricatio, in quibus quidem mireris ingenium et artes dialecticas fabrorum, sed haud raro desideres veritatem et firmitatem decretorum. Incerta est medicorum scientia, inquiunt aduersarii, et satis vere: Neque enim certior nouis philosophorum verbis ac conclusiunculis facta medicina est. Solent nonnulli professores artis, concertatione verborum clari, noua praecepta per dies scribere, acriter inter se disputare de verbis noue sumtis vel notionibus non satis mente informatis, medici vero practici, qui tales magistros bona fide sequuntur, rationibus speciosis et dialecticis hominum vitas nundinantur, Themisonis ad exemplum per systema notum et numerum occisorum aegrorum clarissimi scilicet.

Neque haec ratiocinandi, docendi scribendique ratio noua est.

eſt. Litigarunt veteres, delirarunt maiores, certiorem et firmiorem multis abhinc ſeculis polliciti ſunt artem philoſophi et artis profeſſores in ſua re diſerti, ſed poſt perbreue temporis ſpatium cum auctoribus glorioſa decretorum fama cecidit. Plurimi, vt homines mali, prodiderunt ipſam medicinam, ſapientia ſua vnice freti, neque, an quid inde detrimenti medicina capiat, veriti.

Iubet comicus, vt in aliorum vitas intueamur, tanquam in ſpeculum, redeamus ergo in praeterita ſecula, neque medicorum mores atque ingenia ab noſtris adeo differre perſpiciemus. Eſt apud veteres medicos de medicinae ſtudio et de medendi ratione ſumma contentio atque disſenſio, ſuntque alii rationales, qui cauſſas morborum euidentes ac abditas ſedulo quaerendas eſſe iubent, et rationem vſui anteponendam eſſe profitentur, ſunt alii, qui ſolam experimentorum notitiam neceſſariam eſſe iactitant, ſunt denique Themisonis aemuli, qui methodo, tanquam artis vinculo, adſtricti nihil ſciunt, niſi ſtrictum ac laxum, et ſi quando dubii haereant, medium quoddam, tanquam effugium artis, interponunt. Hinc acerrima inter ſe bella gerunt, pro ſua quique opinione, tanquam pro aris et focis, contendunt, neque ſine ambitione verum ſcrutantur, ſed gloriam et auctoritatem ſolam ſectantur.

Atqui vero haec vetera ſunt, ſed ita comparata, vt facile ad noſtra diſſidia transferri poſſint. Mutatis verbis, nobis eadem narratur fabula. Vt quondam Aſclepiadis adſeclae, ita Brunonis adſectatores praecepta ſua, formulis philoſophiae nouae comprehenſa, vnice certa et omni exceptione ſuperiora eſſe audacter adfirmant, ceteros medicos, qui nouas epulas philoſophice inſtructas et apparatas faſtidiunt, pro

igna-

ignaris habent, hi vero ab his praeceptis, quae experientia longa in ipsis curationibus docuerit, praesidia artis petenda, neque doctas istas cogitationes, et contortulas conclusiunculas, vt salutis anchoras, apprehendendas esse statuunt, post inuentam vsu medicinam quaesitam demum esse rationem, hinc superfluam futuram concertationem de occulta vel philosophica morborum caussa, aegrosque non disertum, sed curantem medicum quaerere probabiliter et satis vere profitentur.

Celsvs *) empiricos veteres in scenam producendo, vt iustae caussae defensor, ita ratiocinatur. *De medicina neque inter sapientiae professores, neque inter ipsos medicos conuenit. Cur enim potius aliquis* Hippocrati *credat, quam* Herophilo? *Cur huic potius, quam* Asclepiadi? Erant hi auctores sua aetate et per secula longe clarissimi, quorum auctoritati medici perlubenter adsurgebant. Iam vero Brvnonis et philosophiae nouae admiratores ceteris medicis omnem scientiam, fidem et auctoritatem detrahunt, sibi solis credendum esse dictatoria maiestate iubent. Arrogantis et magnam rei suae fiduciam habentis est tales iniurias publice dicere ac de aliis scribere. Quid? si et Brvno, et Röschlavb, et Reilivs ceterique systematum auctores errauerint, ergo hinc inde falsi vel minus stabiles in adfirmando et reprobando deprehendantur? Cur ergo eis potius credamus, quam Sydenhamo, Hoffmanno, Cvlleno, Stollio ceterisque vsu expertis medicis, qui probabiles philosophorum cogitationes et coniecturas non temere sequendas putant? Cur Hallero, Darwino vel Girtannero aliud adfirmanti minorem fidem adhibeamus? Cur ceteris auctoribus,

*) De Medicina Praef. l. I. p. 6. seq. ed. Lugd. 1785.

ribus, qui ex amplitudine opinionum bonas quidem eligunt, inutiles respuunt, minorem iudicii vim inesse opinemur?

Pergit CELSVS: „*Si rationes sequi velit, omnium possunt videri non improbabiles, si curationes, ab omnibus his aegri perducti sunt ad sanitatem, ita neque disputationi, neque auctoritati cuiusquam fidem derogari oportuit.*" Habent isti medici quandam praeceptorum rationem, (theoriam vulgo dicunt) eamque probabilem, quidni eam adsumamus pro vera, donec eam falsam esse vsus medicorum nulli sectae addictorum docuerit? Largiamur BRVNONI, RÖSCHLAVBIO, REILIO, docta et ingeniosa commenta, neque inuideamus ipsorum bene partae gloriae, at vero et nobis aliquid ingenii, iudicii et sapientiae tribuamus, magnisque viris demum post exploratam decretorum nouorum veritatem credamus? Quaeruntur in academiis theoriae nouae professores, quasi sine hac medicinae honos aliquis esse non possit, ego vero miror sedulitatem et industriam eorum, qui ambitiose anquirunt et commendant id, quod vbique est ac laete crescit, vt lolium inter auenas. Medicina enim academica fere non est, nisi theoretica, eaque tyronibus ita infusa quasique impressa, vt praeter rationem professoris nouam nihil sciant, nec scire cupiant. Sed aliud est ex cathedra praeceptum, alia prudens applicatio. Etenim non facit ratio subtilis et ratiocinatio dialectica bonum medicum, sed experientia, haec vero non semper respondet rationi inuentoris praesumtae. Quid ergo? Suo quisque vir prudens et doctus vtatur iudicio, donec probetur contrarium.

At vero nuperi medicinae reductores ac reformatores eam probationem, quae ab curationibus prosperis repetitur, vt intutam et improbabilem, omnino damnant, et curare

ac

ac ſanare, tanquam diuerſa, a ſe perridicule diſtinguunt. Quod ſi vel ipſis philoſophorum ac inuentorum concertationibus in dubio et ancipiti poſitum eſt, quem potiſſimum ducem ac magiſtrum artis ſequamur, cur, quaeſo, in medicina abiiciamus ea, quae ſenſuum iudicio et experientia multiplici confirmantur? Cur medicinam aliorum ſalute vel interitu certam imprudenter repudiemus, et febrientium more phasmata philoſophica pro naturae factis habeamus, docta opinionum ludibria pro veris adſumamus, nubem pro Iunone amplectamur?

Pergit Celsvs: „*Etiam ſapientiae profeſſores maximi medici eſſent, ſi ratiocinatio hos faceret, nunc illis verba ſuperſunt, deeſt medendi ſcientia.*" Non mehercle fallitur Celsvs. Certi enim ſumus et condocefacti per hiſtoriam medicinae, eos medicos, qui philoſophiam Ariſtotelicam, ſcholaſticam, Ramiſticam, Carteſianam, Wolfianam, in medicinam tranſtulerant, magnum quidem et celebre nomen apud ſuos adeptos eſſe, ſed arti plus obfuiſſe, quam profuiſſe, diſertos quidem ſcriptis, ſed male ſedulos ad aegrorum lectulos fuiſſe, ideoque nec arti vtilitatem, nec aegris ſalutem attuliſſe. Quid ergo prohibet, quo minus idem a philoſophia noua periculum, eandem inconſtantiam et perituram auctorum gloriam metuamus? Cur Kantio, philoſopho acuto et ſubtili, magis credamus, quam Platnero, Herdero, Vlrichio, Schmidio, ceterisque philoſophis, qui philoſophiam vitae communi aptam verbis et ſcriptis profitentur? Cur popularem philoſophiam *) rideamus, ſi quando ſinguli profeſſores artis et practici ſumtiones precarias et coniecturas ad-

*) Dömling Kritik der vorzüglichſten Vorſtellungsarten über Organiſation und Lebensprincip. Würzb. 1802. p. 3. ſeq.

admiserint? Cur eam, quae minus a sensu communi et experientia quotidiana abhorret, improbandam atque rem absurdam habendam esse censeamus? Cur illi philosophiae, quae in sola cogitatione versatur, et leges naturae praesumtas pro veris habet, primas in medicina, rationi sanae secundas demus? Si de organisatione, tanquam scientiae medicae fundamento, quaeritur, habent singuli philosophi aliam eius notionem mente informatam verbisque obscuris expressam, si de veritate disputatur, quisque ceteris acutior et perspicacior esse cupit. Alia est Fichtii ac Röschlavbii, alia Reilii et Brandisii *), alia Schellingii opinio et praesumtio veri, ergo non satis constat, vtra in parte sit veritas. Etenim occulta est interior corporis humani fabrica, ergo dubiae sunt leges ab ratione ac cogitatione, non ab experientia, vnica in rebus physicis et medicis magistra, deductae. Immo vero nesciunt illi naturae interpretes et mystagogi, quod vitae principium, qui fons, quae origo sit, immo vero, vtrum vita et organisatio a se differant, nec ne, ambigunt atque fluctuant. Et tamen medicos eo adigere cupiunt, vt sine mora victas manus dent, vt obseruationem certam et veram incertae probabilique postponant, et dithyrambicis philosophorum verbis, vt oraculis deorum, sine cunctatione fidem adhibeant. Fac vero, vnum ex his antesignanis propius a vero abesse, aegri tamen non speciosis verbis, non sophismatis, non captionibus dialecticis, sed arte, quae iam satis vsu confirmata est, tuto percurantur.

Pergit Celsus, „*differunt quoque pro natura locorum genera medicinae, et aliud opus est Romae, aliud in Aegypto, aliud in Gallia.* Recte ac vere illa dicta putes. Conveniunt

*) Dömling l. cit. p. 52.

ueniunt enim experientiae, optimae medicinalis artis magistrae. Inspiciamus volumina HIPPOCRATIS, BAGLIVI, HUXHAMI, LINDII, BISSETI, CHALMERI ceterorumque auctorum, qui de morbis epidemicis et endemicis, de morbis a caeli vi pendentibus, de morbis aetatum, sexus et artificum scripserunt, constabitque empiricis istis sua fides, naturae sua auctoritas. Certa esse potest ea curandi regula, quam professor artis scripserat, et e cathedra dictauerat, si per se spectetur, sed falsa, certe minus tuta vtplurimum erit, si ad singulos aegros transferatur. *Caussa* continens morborum communis non datur, nisi apud ingeniosos pathologos, philosophia sua contentos, ergo nec dantur communia morborum remedia. Sunt morbi, quos ab hypersthenia, sunt alii, quos ab asthenia profectos satis vere putemus, licet ergo pathologis praecepta curandi systemati aptare, sed consilio multo eget medicus aegris adsidens, nisi generali decretorum applicatione identidem falli ac errare cum aegrorum periculo velit. Diuersissima hominum corporumque natura est, tutiorque medendi via habenda videtur, quae non ab quaestionibus professorum theoreticis, sed experimentis, post secula firmis, sumta et deducta est. Si enim medici veteres et noui, qui diuersa de curationibus senserant, homines diuersis remediis ad eandem sanitatem perduxerunt, non e re medicorum esse videtur, vni caussae theoreticae, hypersthenia e et astheniae, vel cuicunque alii philosophorum coniecturae, tanquam scopulo, tenaciter inhaesisse, quia iterum quaeri oportuit, vnde hoc in casu, quem medicus ante oculos habet, asthenia nata, fota, exacerbata erat. Quae debilitatis caussa propria quasique priua vbi a medico sublata fuerit, morbus ipse finiri et debuit, et potuit. Cur ergo temere quaeramus et sectemur caussam occultam vel philosophicam, quam mente quidem cogitare licet, medicamentis adsequi non

non licet? Cur magis ſubitas latentium rerum coniecturas in curatione adhibeamus, quam praecepta longo vſu confirmata? Cur magni profeſſoris et philoſophi ſubtilis auctoritati ita concedamus, vt ne latum quidem ab eius verbis recedere permittatur? Quid? ſi nec dentur morbi ſthenici? Ita nuper cenſuit Schmidivs *). Nunc, demto vno ſyſtematis fulcro et praeſidio, ipſum ſyſtema ruinoſum futurum opinari licet. Quid? ſi nec tanta ſit aſtheniae amplitudo et ambitus, vt Brvnonis adſeclae ſibi et aliis perſuadent? Ergo nec ſemper ac ubivis incitandum ac ſtimulandum eſt, ne a perpetuo incitamento vires aegri collapſae pereant. Quin ipſe caballus, continuo calcare ad currendum adactus, viribus exhauſtis, ſubito corruat neceſſe eſt. Hoc vnum certum eſt, de rebus medicis poſſe in vtramque partem diſſeri, ſed quam maxime incertum eſt, vtra in parte ſit decretorum conſtantia et veritas, neque euentus morbi ſemper reſpondet artificis doctrinae, opinioni, coniecturae. Licet ergo ſuam cuique artis profeſſori et medico laudem ſuumque honorem tribuere, aequum eſt, ut Röschlavbivm ingenio, arte dialectica et facundia ceteros Brunonianos multum antiſtare ingenue profiteamur, neque vero tanta auctoritatis vis eſſe poteſt, vt caeco quaſi impetu in adſenſum abrepti attrahamur eo, quo nos ducere velit, neque, quid verum, quid probabile, quid ex ſumtionibus precariis credibile, quid in his concluſiunculis ſubrepticium, hinc ad fallendos et illaqueandos lectores aptum, in ſyſtemate incitabilitatis vel organismi ſit, publice priuatimque dicere audeamus. Ipſe enim Röschlavbivs, vt virum probum decet, haud pauca praecepta nuper ſcripta denuo reiicit quaſique refingit, neque turpe eſt magno viro errorem confiteri. Confeſſus vero ipſe magnus Hippocrates eſt, hinc a Cel-

so

*) Cf. Kritik der ſthen. Krankheit. Jen. 1803.

so merito collaudatus. Videtur ergo CELSVS, empiricorum argumenta et verba referens, non male statuisse, „*morbos non eloquentia, sed remediis curari, Quae si quis elinguis*, pergit ille, *vsu discreta bene norit, hic aliquanto maior medicus futurus est, quam si sine vsu linguam suam* (et philosophiam) *excoluerit.*"

De *secta methodica* paucis differit CELSVS *), vberius CAELIVS AVRELIANVS **). Contendunt vero methodici, *nullius caussae notitiam quidquam ad curationes pertinere, satisque esse quaedam communia morborum intueri, adstrictum, fluens, mixtum. Cognito eo, quod ex his est, si corpus adstrictum est, digerendum esse, si profluuio laborat, continendum, si mixtum vitium habet, occurrendum subinde vehementiori malo* iubent cet. Veteres ergo methodici nolebant *in coniectura rerum latentium esse medicinam*, et *parum artis esse in obseruatione experimentorum* credebant, hinc nec rationales, nec empirici dicendi videntur. Haec praecepta, adspectu leuia et probabilia, opinioni artificum bene respondent, naturae morborum minime, quia, vt recte praecipit CELSVS, *vix vlla perpetua praecepta medicinalis ars recipit*, saepe *communium inspectio contraria, propriorum tantum salutaris est, et caussae quoque aestimatio saepe morbum soluit.* Ego vero nulli parti et sectae addictus laudo empiricorum veterum prudentiam et methodi veteris facilitatem ad inuenienda remedia, cum euidentes caussas arriperet, obscuras reiiceret, laudo et nouam Brunonianorum methodum, sed vere desidero, eius auctores tantum ea sequi, quae ab cogitatione nata, ab ipsa arte ac vsu reiecta putes. Neque communia ista

*) L. cit. p. 12.

**) De Morb. Acut. et Chron. Libri. Amst. 1709. Cf. SPRENGEL Geschichte d. Medicin B. 2. p. 8. seq. ed. sec.

iſta ſine cognitione cauſſarum accurata adeo certa et perpetua ſunt, vt hinc ſemper inueniri poſſit vera curandi methodus. Aeger enim non curat theoreticorum ſomnia et commenta, hoc vero iure ſuo poſtulat, ne quis medicorum et valetudinem, et vitam ſuam nundinetur, et in ſe, quid demum noua ratio valeat, periclitetur. Aliud eſt intra ſe deſipere ac ſuauiter delirare, aliud deliria in ceterorum hominum corporibus experiri. Illud licet cuique philoſopho et medico, qui ſibi aliquis deus eſt, nullisque ſe legibus obligare cupit, hoc vero non licet. Adhibeamus ergo in docenda et facienda medicina rationem eam, quae naturae quam maxime conſentiat, non vero eam, quam profeſſoris opinio inuenit, auctoritas ceteris, tanquam iugum, imponendam curauit. Medici prudentis eſt vera a probabilibus ſecernere, docti viri eſt cum SENECA *) dicere, *nunquam inuenietur, ſi contenti fuerimus inuentis. Qui alium ſequitur, nihil inuenit, imo nec quaerit. Quid ergo? Non ibo per priorum* (et aequalium) *veſtigia? Ego vero vtar via veteri, ſed ſi propiorem planioremque* (incitabilitatem) *inuenero, hanc muniam*, certe perſequar, in quantum ex vſu certa et omni exceptione fuerit ſuperior. *Qui ante nos iſta mouerunt*, (et etiamnum movent) *non domini noſtri, ſed duces ſunt. Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata, multum ex illa etiam futuris relictum eſt.*

*) Epiſt. 33.

Sed de his ſatis. Indicenda ſunt doctiſſimi candidati ſollemnia inauguralia, qui laudabili diligentia apud nos medicinam et didicit, et ipſe agitauit. Iam metae proximus hanc ſcholaſticae et academicae vitae rationem ex inſtituto maiorum nobis tradidit.

Ego

Ego, ADOLPHVS FRIDERICVS BRÜCKNER, Neobrandenburgi, quae metropolis ducatus Megapolitano-Strelitiensis est, natus sum die XXII. mensis Novembris anni 1781. patre ADOLPHO FRIDERICO THEODORO BRÜCKNERO, med. et chir. doctore, matre vero ERNESTINA, e stirpe LEMCKE. Hi dilectissimi parentes, quos adhuc superstites venerari licet, maxima me sollertia non in christianae religionis doctrina solum, sed in omnibus quoque, quae puerili congruunt animo, literis erudiendum curavere. Praeceptorum scholae publicae in urbe patria institutione egregia per complures annos fruitus Berolinum petii, ibique per annum integrum gymnasium Berolino-Coloniense sub auspiciis celeberrimi GEDICKE frequentavi. Deinde vero medicinae tam internae, quam externae, nec minus studio historiae naturalis (quod iam inde a tenera aetate summo amore complexus eram) operam daturus, incunte anno 1800. ab b. MEYERO, tunc temporis collegii medico-chirurgici decano, in studiosorum numerum receptus sum. Per annum praeceptorum celeberrimorum atque meritissimorum non solum praelectiones frequentavi, sedetiam scripta diligenter perlegi. Apud Celeberrimum WILLDENOWIVM Zoologiam atque Botanicen, apud Ill. KNAPIVM Osteologiam ac Anatomen, apud clar. BVRQVET Physicam atque Chemiam audiui, in Mathesi atque Logica Excell. KIESEWETTERVM praeceptorem habui, Physiologiam denique Ill. WALTER sen. atque Exper. MEYER mihi tradidere. —

Tum anno 1801. Halam veni, atque a b. MECKELIO t. t. Prorectore magnifico, civium numero adscriptus sum. Ibi Excell. REIL in pathologia generali

rali atque doctrina de morbis oculorum praeceptorem veneratus ſum, Excell. SPRENGELIVM *Botanicen, Materiam medicam atque Semioticen docentem audivi,* MECKELII *de anatomia pathologica praelectionibus interfui.*

Denique elapſis ſex menſibus, Jenam profectus, coram Magnif. Prorectore SCHMIDIO *academiae nomen dedi, ibique per unum et dimidium annum commoratus ſum. Excellentiſſimis ibi atque doctiſſimis praeceptoribus me gaviſum fuiſſe gratiſſima mente glorior. Perill.* LODER *univerſam Anatomiam, Neurologiam una cum Angiologia atque Chirurgiam manualem ſumma ſollertia tradentem audivi, Illuſtr.* STARK *ſen. praelectiones in artem obſtetriciam frequentavi, Clar.* BERNSTEIN *Artem faſcias chirurgicas rite adplicandi una cum doctrina de fracturis atque luxationibus mihi tradidit, Excell.* STARKII *iun. de pathologia ac therapia ſpeciali praelectionibus interfui, Exper.* KILIAN *Encyclopaediam univerſae medicinae mihi tradidit, atque Caſuiſticum aperuit, Excell.* LENZ *in Mineralogia ac Entomologia doctorem habui. Exercitationibus quoque clinicis ſub* LODERI *et* HIMLYI *moderamine interfui, uti et nonnullis lectionibus publicis et privatiſſimis. Omnium horum praeceptorum tot tantaque in me beneficia gratiſſima mente ad cineres usque colere non deſiſtam, Numenque ſupremum, ut Eorum vitam per longam annorum ſeriem ad ſeram ſenectutem usque perducat, precor.*

Nuper ordinem noſtrum decenter adiit, vt ad examen, quod candidatorum eſt, admitteretur, idque recte ac cum plauſu examinatorum ſuperauit. Im-

Imponet operi finem a. d. xviii. Maii ſuam diſputationem inauguralem ſiſt. *floram Neo-Brandeburgicam* publice defenſurus. Iubent maiores, vt ſpectatores actus et auditores ordinis mei verbis ea, qua decet, obſeruantia rogentur, adeſte ergo, ſi Veſtra intereſt, Prorector Academiae Magnifice, S. R. I. Comites Illvstrissimi, Patres Conscripti, Professores Excellentissimi, Doctores Experientissimi, Hospites, Commilitones genere ac doctrina praeſtantes, et optimo candidato fauete. P. P. Sub Sigillo Facultatis Medicae a. d. xvii. Maii cIↃ IↃ ccc iii.

(L. S.)





